

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Dolor e
cum fonte primo

Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lacrimas,
si non nimie decurrerint, si illas ipsi repressimus.
Nec sicci sint oculi amico amisso, nec fluant;
lacrimandum est non plorandum.

Per lacrimas argumenta desiderii querimus
et dolorem non sequimur sed ostendimus.

Seneca LXIII. epistola.

Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lacrimas,
si non nimiae decucurrerunt, si ipsi illas repressimus.
Nec sicci sint oculi amisso amico nec fluant;
lacrimandum est, non plorandum.
Duram tibi legem videor ponere,
cum poetarum Graecorum maximus ius flendi dederit
in unum dumtaxat diem,
cum dixerit etiam Niobam de cibo cogitasse?
Quaeris unde sint lamentationes,
unde inmodici fletus?
per lacrimas argumenta desiderii quaerimus
et dolorem non sequimur sed ostendimus;
nemo tristis sibi est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae
morales*, 63.1-2 (L. Reynolds ed., vol.1, p.170,
ll.7-16).